

Za
1196



AK 50.



RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
**IOACHIMVS SAMVEL
WEICKHMANNVS**

SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR AD OO. SS. PRAEPOSITVS ORDINIS SVI

H. T. DECANVS

MEMORIAM

COLLEGAE DESIDERATISSIMI

**GEORGI FRIDERICI
BAERMANNI**

MATHEMATVM SVPERIOR. PROB. PVBL. ORD
MERITIS INSIGNIBVS FLORENTISSIONI

VIII. EID. FEBRVAR. CCCCCLXIX

BEATA MORTE FVNCTI

CIVIBVS HUMANISSIMIS

COMMENDAT



Saeppe mihi magnam mouit admirationem Artemonis familia, quae quamvis capitales foverit errores, habuit tamen aliquid reconditionis doctrinae, qua coloresiftis adiecit, per se minime illa quidem uituperanda. Iacerethaec disciplina crassis obruta tenebris, nisi Samuelis Crellii fama, qui nomen fuit Artemonii mentitus, lumen ei accendisset. Nec tamen illud satis luet, sed homines doctissimi, in his callibus data opera uersati, hodieque conqueruntur, plurimas sibi difficultates, nec facile superandas, obiici. Desunt enim testimonia luculenta, quibus sine mora confidere liceat. Eusebius tamen, historiae ciuitatis sanctioris libro quinto exeunte, monumentum quoddam seruavit, unde gregishuius sententiam uiuendique genus cognoscamus. A quo fuerit auctore proditum, quo modo inscriptum, amicus Pamphili non commemoravit. Illud inter seueros iudices constat, suisse has reliquias e libro deceptas, elogio parui labyrinthi insigni. Sed, quis hunc uiarum inexplicabilem fecerit errorem, num Caius, meritis de coetu sacro Romae celebratissimus, an alias, post diuturnam commentationem cogitationemque, uel Wesselingius, in probabilibus, ambigit. Nobis nunc satis est, hunc testem grauissimo Eusebii iudicio non repudiatum, a quo siue Theodotianorum, siue Aremonitarum sectam institutionemque disceremus, quod ambo habent commune uinculum, et propinquam cognitione iunguntur. Primo quidem uehementissime detestamur audaciam eorum, diuinum Iesu numen oppugnandi, cui nihil nisi naturam relinquebant humana. Nec lenius ferimus libidinem, tabulas diuinitus confignatas adulterandi, quibus de Deo sensus debet, ac uita modus degendae conformari. At liberalium studiorum cultum, tantum abest, ut illis turpitudini ducamus, ut magnopere doleamus, eos hac humanitate perperam usos. Saepe uero dementia offensi admista, etiam laudabilia reprehendimus, et, dum malis adhaeremus unice, bona praeteruolamus. Quia iudicandi intemperantia sicut multi nostra quoque memoria feruntur, sic eadem Daedalum abripuit Eusebianum, ut aduersarios nimium criminaretur. Audiamus ipsum, ne ei facere iniuriam uideamur. Non anquirunt, inquit, quae sacer doceat codex, sed, cuiusmodi syllogismorum figura ad firmandam impietatem ualeat, nauiter meditantur. Quod si quis aliquo diuinarum literarum loco eos urget, experiuntur, utrum conexum, an disiunctum ratiocinationis genus inde confici possit. Relictis autem libris a Deo infinitis, Geometriae student, terrestres quippe, ac de rebus terrenis loquentes, eius autem, qui de coelo descendit, rudes atque ignari. Euclidis igitur Geometriae istorum nonnulli continentem nauant operam. Aristoteles uero ac Theophrastus summa admiratione colitur, Galenus a quibusdam uel adoratur. Proinde tales, qui hominum, a uero Deo sciunctorum, disciplinas ad erroris sui opinionem detorquent, impiorumque uersutia simplicem scriptorum, diuino afflatu compositorum, fidem quaestui habent, corrupentes, a fide remotissimos uagari, dicere

dicere quid attinet. Haec tenus ille paullo concitatior. Licebit tamen paullisper morari, et Moshemii cohortationi parere, qui in commentariis de rebus Christianorum ante Constantimum Magnum dignam censem hanc declamationem, *quae consideretur, et si modum in reprehendendo excedere paullulum videatur.* Valesius, eruditissimus Eusebii interpres, eucterum praeceptis dialecticorum nonnulla profert, alia pronuntiatorum simplicia fieri, uelut dies est, alia non simplicia, eademque uel connexa uel disiuncta, illa modo candem repetere sumptionem, ut, si dies est, dies est, modo sumere diuersa, si dies est, lux est, haec contraria inter se se contendere, hanc in sententiam, aut dies est, aut nox est. Quae cum sint nota ac perulgata, illud magis quaeritur, cur Artemonis sectatores his argumentandi formulis tantum tribuerint, ut iis, tanquam aurificis statera, et sua momenta, et aliorum examinarentur. Cui quidem quaestioni recentiores in Iesu gloriam machinationes nonnihil lucis afferunt, quae syllogismos partim connexos, clarioris euidentiae causa, partim disiunctos, propter uictoriae fiduciam, iactarunt. Hunc enim fecerunt impetum, si Christus est homo, homo est, est autem homo, homo est igitur. Illud autem, de quo disputatur, negligitur. Etenim de eo non disceptatur, num seruator generis humani homo sit, sed utrum merus homo, expers diuinitatis. Ita repulsi issi pugnam renouant, aut Christus Deus est, aut homo, hominem conceditis esse, quis igitur Deum censeat. Dum uero membrum caussae praetermittunt interiecit, caussa cadunt. Nam Christus Deus est simul atque homo, quod haec quidem naturae longe differunt, non autem inter se pugnant, quin possint in unum coalescere. At, quamuis Artemonis milites parum feliciter pugnarint, sollertia tamen ipsa decertandi, atque in Aristotelem studia ac Theophrastum, praeципueque Galenum, de ratione quaerendi ac differendi, totaque philosophia tam praecclare meritum, ut ad Platonis laudem atque Aristotelis accedere multis uideretur, uitio dari non debebant. Iure Dannhauerus meritoque Syllogismum donum nominat, Aristoteli de coelo concessionem, utpote quo uerum possit commodius inueniri, inuentumque minore periculo errandi ponderari. Sed nihil fructuosius ad dialecticorum praescriptiones, in succum sanguinemque uertendas, nihil praestabilius ad acuendam rationem, Mathematicorum subtilitate, quae non persuader, uerum cogit. Quis igitur Artemonis amatores obiurget, quod Eucli praeter caeteros studuerunt. In hoc Petrus Ramus, id quod ipse in scholis mathematicis praedicat, *nullum paralogismum, quamquam seueru inquirens, animaduertere potuit. Quam laudem singularem esse, profitetur, quamque nulli adhuc neque Grammatico, neque Rhetori, neque Logico potuerit concedere, ut in Grammatica, Rhetorica, Logica, nibil falsi doceret.* Forsan infesti iestati Iesu armis, quae Baylius quoque credidit inuicta, sanctissimam triada petierunt, cum, quae sint eadem eidem, ea et ipsa sint eadem, tres in diuinitate differre non posse, *quod eandem inter se*

naturam communicent. Statim terga uertissent, hoc uno obiecto, quae sint ex parte eadem, non simpliciter atque omnino conuenire. Artifex autem labyrinthi Geometriae ludit nomine, acribusque obiurgationibus in contra sentientes inuehitur. Hae sunt istae uociferationes religiosas barbariae, quae, quod non didicit, contemnit, negans, his profanis literis gloriam numinis amplificari, a tergo longissime relinquendis. Inueterato praeuersum Mathematica scientia flagrat odio, si uerum est, quod ab Socrate relatum legimus, fuisse, qui Eusebio, Emiseno, nollent suffragari, anti-stitis munere indigno, quia Matheſin tradiderit. Ioannes uero Picus Mirandulanus *nibil magis nocuum Theologo* iudicauit, *quam frequentem et assiduum in Mathematicis Euclidis exercitationem.* Quae temeritas Fabricium nostrum, ubi uitam persequitur Euclidis, in bibliotheca Graeca, tantopere commouit, ut longa eam digressione castigaret, hoc uoto conclusa, *opto, ut, quicquid docet, auctoritatem doceat Theologus, hoc est, ut tum quoque nulla eius effata uel rigidissimum examen Euclideanum metuant, cum uel maxime uidetur agere familiariter. Ita demum efficiet, quod iubetur ab Apostolo, ut, quae docet, doceat ὡς λόγον Θεοῦ.*

Nos, quid quantumque mors immatura **GEORGII FRIDERICI BAERMANNI**, Mathem. Supp. Prof. Publ. Ord. huic literarum sedi eripuerit, intimo dolore permot, sentimus. Neque enim cunctus uni modo fuit studio deditus, uerum plura complexus animo, nihil praetermisit liberalis doctrinae, qua solet animus ad humanitatem informari. Mathesi quidem praecipuum nauauit operam, ad quam ipsa eum natura genuisse uidebatur, obscuritate rerum, ac recondita arte et multiplice subtilique, in qua mathematici uersantur, non deterrita, sed acrius excitata. Cum Mathematis copulauit philosophiam, ac rerum diuinarum humanarumque scientiam penitus percepit. In qua certius intelligenda ratio philosophandi Wolfiana cum primisei placuit, quod inter se apta omnia et coagmentata ingenio, in argumentationibus indubitatis exercitato, satisfecerant. Proinde nihil de eorum clamoribus laborauit, qui nescio quos angues hac in herba reformidarent, Sexti Empirici disputationibus atque Hobbesii contra Mathematicos admotitus, nihil tam liquidum ponit, quod non speciosis possit cauillationibus oppugnari. Sed, quod Wolfio deerat literarum lumen, Baermannus noster adiunxit, huiusque nobis elegantiae complura dedit specimina, suo comprobans exemplo, quam temere istud sermone tritum iactetur, Mathematicum, a Musis non alienum, in prodigiis numerandum. Imo uero Cartesio morem gescit, prauam multorum consuetudinem minime sequendam, quae, conferens illiberales artes cum liberalibus, unicam mordicus teneat scientiam, eamque sordido quaestui habeat, dissoluto, quo omnes disciplinæ colligentur, uinculo, sed ad altiora contendentem, rationis ope, mutua cunctas luce debere operaque iuare. Qua duetus animi magnitudine Leibnitii, cuius sui, exemplum, ad ornamen
memo-

memoriam insigne, sibi ante oculos proposuit, non solum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum, ipsaque religionis sanctissimae praecepta perquisuit, Anglorum praecipue monumentis delectatus, quorum linguam probe calluerat, ut eam posset aliis tradere, pluresque Skeltoni sacras orationes, ad animum, aerumnis pressum, diuinae prouidentiae consolatione excitandum, in Germanicum conuerteret. At non probauit libidinem petulantiae, in coelum ipsum stultitia impetum facientem, sed castam retinuit doctrinam, hanc tamen non per manu stradis commemorationibus iudicauit, illud amplexus modo, quod uel perspicuo Dei testimonia, uel rationibus, ere ipsa petitis, fulciretur. Ad cultum indolis, tam late patentis, mature ipsum preaparauit fides in educando patris, Georgii Adami Baermannii I. V.D. ordinariique caussarum patroni in summa curia Lipsiensi, ac senatu sanctiore, qui eum IV. Non. Octobr. 1510 CCXVII. e Christiana Sophia, unica filia D. Ioannis Guilielmi Pauli, Medicinae Prof. Ord. prudentia ac probitate celebratissimi, suscepserat. Diis saepe maximas egit gratias Plato, quod Athenas sibi patriam concesserint, inuentrices omnium doctrinarum. Nec minori sibi duxit laudi Lipsiam suam Baermannus, officinam aequo copiosam humanitatis, atque amplissimae negotiationis. Hic praeceptorum domesticorum disciplinae commissus ad annum duodecimum, in ludum Portensem, equo tot excellentia prodierunt ingenia, se contulit, Schreber, Rectoris tum peritissimi rei scholasticae, domicilio coniunctaque usus. Quamuis autem neque magistros discipuli, nec discipulum magistrorum, poeniteret, corporis tamen imbecillitas parentem mouit, ut biennio post eum ad se reuocaret. Nauctus est ducem ad persequendum eruditio[n]is campum Io. Fridericum Leisnerum, cuius nautitatem amoremque erga se noster nunquam potuit satis laudare. Ab hoc enim gustum bellarum literarum, ab hoc sapientiae studium, ab hoc initia mathematum, ab hoc, quod ille maximi faciebat, uirtutum igniculos ac semina accepérat. Ita praececutus quasi in academiam rotus incubuit, in numerum ciuium, Gaertnero rectore, ascriptus 1510 CCXXX. Hic quanta contentione sit in uarietate doctrinae copiaque uersatus, facturi uidemur operae pretium, si paucis ex posuerimus, ut iuuentus nostra, tanquam in tabula, cernat, ei, qui uelit ad maiorem laudem peruenire, non certarum rerum cancellis circumscribendam scientiam, sed longius latiusque excurrendum. Sine mora Kappium adiit, fundamenta styli iacentem, persuasus, huius perspicuitate atque elegantia ipsam cogitandi sollertia magnopere acui, et, quo melius Latii monumenta uersaret, ab Hofmanno, tum temporis ad Nicolai sacerdote, antiquitates Romanas accepit. Sed, praeter caeteros, sapientiae cupiditate flagrantem, ad se Ernesti traxit disciplina, humanitate perpolita, quo praeside, de philosophia perfectae Grammaticae asserenda, publice disputauit. Huius uiri summi singularem erga se benevolentiam semper fecit maximi, saepe professus,

eum sibi principem et ad ingrediendam, et ad suscipiendam rationem accuratorum studiorum extitisse. Sed quoniam naturae ipsius impetu ad Mathematica ferebatur, Stubnero uiam monstrante, Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam, atque Algebraam, data opera tractatas, agitauit, et, quo lineas duceret ampliores, Haufenii publicas celebrauit scholas priuatasque, cuius exquisitum genus docendi dilucidumque nostro mirum in modum placuerat. Hic ipse naturae patefecit recessus, praeceptis physicis per experientia comprobatis. Tam feueris occupationibus interposuit iucunda, atque historiam literatam ab Ioechero arripuit aude, a Gottschedio rhetorice, cuius quoque exercitationibus eloquentiae frequens interfuit. Cumque non ignoraret, in sententis de religione multa sumi temere, ex ore Weisii, tam diserto, quam casti de Deo sensus retinente, peperit. Is semper in ore habuerat illud Petrinum, nihil sine codice diuinitus exarato. Quo cupidius Baermannus rectas eius interpretandi formulas, a Friderici transditas, adhibuit, atque, ut ex ipsis fontibus hauriret, ab eodem Hebraeam linguam, ab Hebensfreitio Chaldaeam ac Syriacam sibi cognitam peripectamque reddidit, pudore suffundens ignauiam multorum, qui, cum sacras literas profiteantur, Germanica interpretatione contenti, in commentatoriorum siccitate concionumque colluuiuie sua ponunt omnia. Ne sibi denique facultas sermonis deficeret, priuatis Menzii disputationibus perfecit. quis igitur illo dignior, tam laurea Philosophica, CICICCCXXXII. deportata, quam summis in Philosophia honoribus, CICICCCXXXV. publice tributis, quos nouo fuerat specimine meritus, respondentis officio in Heinssii, V. Cl. disputatione, de iusta tormentorum longitudine, perfundetus. Sed nihil honorificentius iudicio societatis Teutonicae Lipsiensis, cui tum Moshemius praefuit. Haec enim orio Cyri, apte compositeque ab eo conuerso, ducta, cunctis suffragiis socium laudibus suis ascripserait. Nec destituit expectationem, de se conceptam, uerum pluribus documentis facultatis ingenii eam magis sibi magisque deuinxit. Anno post, Marburgum demigravit, in academiam a Pro-Rectori Santoroco receptus. Huc ipsum fama conuocarat Wolfii, qui non iuuenum modo, aemulantium studia, coetus habuit, sed etiam uiros ornatusimos, undique ad se confluentes, Mathematicis imbiuit studiis amoreque sapientiae. Patriae tamen charitas eum non ita multo post retraxit, ubi, diatribe de uectibus curuilineis elaborata, in lucem prodiit aspectumque, ad habendarum scholarum ius obtinendum. In qua tuenda tam praeclarata cum laude stetit, ut iuuenes, discendi cupidos, conciliaret sibi, nomenque latius propagaret. Sed praecipuam duxit commendationem ab elementis Euchalis, ad Graeci contextus fidem recensitis, atque ad usum tironum accommodatis. Hacc enim cunctis, qui ad mathesin pernoscendam animum appellant, non legenda solum, sed etiam fere tota ediscenda, censuit, quippe cum omnes, qui post Euclidem in Geometria sublimiore, Mechanica, Optica, Astronomia,

nomia, inuenta literis prodiderint, sicut argumenta ab eo sumperiat, sic saepe ad hunc certae doctrinae ac fixae parentem lectores conuertant, quem nemo pura simplicitate superet. Nihil igitur omisit curae, qua, et uerum, et integrum, Euclidem Matheseos cultoribus, quos uult in Euclidea schola tirocinium ponere, tradaret. Latinam quidem secutus interpretationem Dauidis Gregorii, qui Euclidem foras Oxoniae, quam diligentissime limatum, derat, paucis tamen mutatis, quae fententiae scriptoris Graecorum fonti minus conuenerant, demonstraciones coartauit, Isaaci Barrowii, excellentis Geometrae, exemplo, subiunxitque scholia uel corollaria, e quibus multorum sequentium pronuntiatorum rationes caperentur. Ipsius uero confirmationis robur seruauit integrum, tum breuitate motus, tum stabilitate, neque in Leibnitii fententiam pedibus iuit, in commentariis Berolinensibus dictam, *elementa Geometriae multas ob causas alter adhuc, quam in Euclide extent, demonstrandas uideri.* Sic, praesentibus charus, absentibus notus, Augusti III. gratia, anno huius saeculi XLV Vitembergam uenit, ad capessendum munus Mathematum inferiorum per docendorum, quod libello, *theorematis Algebraici demonstrationem exhibente*, ab Neutono inuentore, in loco de limitibus radicum aequationum, non suppeditatam, atque oratione, *de summa studii mathebatum ad consequendam solidam eruditionem utilitate*, adiit, ac postea cum Mathematis superioribus permuteauit. In utroque loco positus partes, sibi iniunctas, tanta cum dignitate expleuit, ut et inuentus nostrae commodis seruiret, et uariis monumentis non vulgaribus memoriam proderet. Horum sunt numero, ne de his, quae maioribus continentur operibus, mentionem faciam, dissertationes *de cubicarum aliarumque aequationum per canonem finuum resolutione, de cuneo, theoria motus uariati, de angulis solidis, de regulis trigonometriae sphaericae catholicis.* Nec uero literarum missam fecit elegantiam, expectationemque sustinuit societatis artium liberalium Lipsiensis, ab ea in membra honoraria CCCCCLIII. cooptatus. Reliquam uitam pietas in Deum ad omne genus uirtutum pepulit, quae religionem non externa simulat specie, sed factorum testimoniois comprobat. Huic magnam conciliauit auctoritatem grauitas morum constantiaque, qua, sicut Socrates, eodem semper uulnus eademque fronte fuit. Nec tamen in morositatem inutilem incidit odio famque, sed humanitate seu ritatem conduxit, qua omnibus officia praestitit, infestus nemini. Collegas amicitia sibi concordiaque deuinctos habuit, maluitque dissensiones reconciliare, quam fouere simultatem. Summis ordinis sui atque academiae honoribus perfunditus, quid huic sedi litteratae salubre sit ac frugiferum, non intellexit modo, sed etiam summa ope procurauit. Integritatem decorauit modestia, qua laudes non emendicauit, sed sine cupiditate expectans, proximam uiam statuit ad ueram gloriam, ut, qualis haberi ueller, talis esset. In primis eum uidimus pulcherrime fortunam ferre obsidionis

Za 1196 PR

nis nonissimae, cuius atrocitatem uix posteritas credet. Haec alios repentina morte examinauit, alios lenta ualetudine confecit, alius uulnus, adhuc insanabile, inflixit. Baermannus autem, domicilio quamlibet commodo, magnaue facultatum parte priuatus, sua se uirtute inuoluit, bene se uiuere, arbitratus, si bene latuerit. Quae quidem consuetudo inuendi, Vitemberga ad tranquillitatem retinendam accommodatissima, morbum sensim contraxit, cuius uim D. Bosii, qui necessario suo fidelissimastulit suspectias, uerbis malo notare, quam meis. Baermannus, ob natuam corporis debilitatem, iam a tenera aetate asthmate saepius et difficiili respiratione laborauit, cumque insuper uitae sedentariae maximam partem deditus esset, hac quoque causa corporis uires quotannis magis magisque fregit. Hyeme anni 1767. apoplexiae specie corruptus fuit, a cuius tamen periculo post adhibita remedia liberatus fuit. Nihilo uero secius ab hoc tempore plura alia sensit incommoda, subsequentis mortis tanquam auguria. Etenim, sub initium praeteritae aestatis, non solum asthmaticae affectiones ualde creuerunt, sed eriam e torius corporis debilitate oedema in pedibus ortum fuit. Bosius, affinitate ipsi iunctus, per uaria medicamenta grauia haec mala subleuare quodammodo tentauit, ideoque interdum cum Bochmero consilia iniit, sed ambo appropinquantem amicim mortem praeuiderunt. Occupauit illa die sexto Februarii, hora uespertina decima cum dimidia, postquam iam a die secundo Februarii aeger exdecubitus seriuersus caput, alternis uicibus, mox sopore, mox suaui delirio detentus fuit, donec repentina apoplexia ille expirauit. Hacc ille. Tam acerbo decessu solo, quem fides ac uigilantia Hackeri, V. Pl. R. magnopere leuarat, noster Erdmuth Tugendreich, matrimonio sibi suauissimo iunctam, Ioannis Benedicti Carpzouii, I. V. D. Potentiss. Reg. Pol. atque Elect. Saxon, quondam a Consiliis Commiss. et Quaeftoris Vitembergensis Amplissimi, filiam, moerore affectit, ex qua duo filios, Georgium Augustinum, et Fridericum procreauit, ac tres filias Erdmuth Fridericam, Carolinam, Christianam Fridericam. Vnam tamen Carolinam superstitem reliquit, quae, sicut parenti uenustate corporis, et, quod praecellens est, animi pulchritudine plurimum iucunditatis attulit, sic ab eo ipso initis fuit religionis exculta artiumque, sexu suo dignissimarum, materna uero decora felici imitatione persequitur. Nostrum est, *Cives*, promerita Baermannis grata memoria perpetuaque complecti, ac Deum uenerari, ut Gentis Ornatisissime luctum secundioribus uicissitudinibus mitiget, nostrarque academiae doctorem clemens ac propitius reddat, illius uirtutibus quam simillimum. P. P. XIV. Kal. April. CCCCCCLXIX

—
VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DURRIT

ACAD. A. TYPES

315

Ron Za 1196, Fc



V 218



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-808869-p0012-1

DFG

Za
1196

FR 50.

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
**IOACHIMVS SAMVEL
WEICKHMANNVS**

SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIUS SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR AD OO. SS. PRAEPOSITVS ORDINIS SVI

H. T. DECANVS

MEMORIAM

GAE DESIDERATISSIMI

**GI FRIDERICI
ERMANNI**

VM SVPERIOR. PROF. PVBL. ORD
NSIGNIBVS FLORENTISSIMI

EID. FEBRVAR. CIOCC LXIX

EATA MORTE FUNCTI

S HVMANISSIMIS

COMMENDAT

